



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Svpplementvm LXXXV. Ad pag. CLXXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

rum & tabulas scriptas & consuetudines pernoscendæ erunt. Utrum verò etiam ad Britannicas, Hispanicas, aliasque exterarum omnes Academias sit respiciendum, dubito; idque quoniam in nullis tabulis Imperatoris aut Pontificis, quas equidem vidi, earum sit mentio. Sunt alioquin in primis Anglicæ plurimis atque eximiis privilegiis exornatæ: quod cum aliunde tum ex Pitsei libro de Oxoniensis Academiæ Antiquitate est manifestum. Ne quid tamen porro dissimulem, verba ejusmodi Tabularum, si usum videas, magis sapiunt formulas Concellariæ, quàm ut reapse omnia illa privilegia largiantur: ac proinde haud videntur rigide cuncta accipienda atque exigenda esse.

In similes verò formulas & similia privilegia conditæ sunt, & jam 1502 à Maximiliano I Wittebergenfis, & à sequentibus Cæsaribus saltim omnes Protestantium Academiæ, quæ quidem cœperunt intra hosce centum quinquaginta circiter annos. Sunt autem illæ sic satis multæ & florentes. Est enim iniquissima & impudens nonnullorum hostium calumnia, Protestantibus exosas esse Academiæ & Scholas omnes: cum utique saltim in Germania hæc & numero & florente statu reliquis fortè sint superiores, certe non multum impares, præsertim si annumeres etiam illas, quæ pridem ante cœperant quidem post autem in mores & ritus Protestantium transferunt.

SUPPLEMENTVM LXXXV.

Ad pag. CLXXXIV.

IN Accursii verbis illud dignum notatu est, quod dicitur, *non esse consuetum ut Studiosi pedagiam solvant.* Inde enim liquet, jam tunc temporis, saltim in Italia, ubi vixit Accursius, immunitatem istam vectigalium fuisse recepti moris, quacunque etiam illâ auctoritate cœpisset. Quam
levia

levia autem sint reliqua pro isthac immunitate ab Accursio adducta; nemini non manifestum esse potest, qui citata legum Romanarum verba ipsa inspexerit, & firmâ ex iis collectione vectigalium libertatem exsculpere attentaverit.

OMnibus in populis, latè quâ diditur orbis,
 Doctrinæ fuerint quæ prima, exordia coetus:
 Utque sibi passim Sapia condere templa
 Cæperit, & sacras Studii exercere palæstras:
 Tandem imò in sylvis Academi quærere verum
 Instituens, pulcras dederit mortalibus artes;
 Audierat quondam, mihi adhuc florentibus annis,
 Tunc Bellona licet turbaret ubique Minervam,
 (Nequicquam: quid enim efficiat sine numine cœli?)
 In Panhelmiacis me Julia Diva loquentem,
 Cum plausu juvenum caveæ magnique Senatus
 Iam cani infestant. Rursus tamen illa docere,
 Quin aliis etiam multis ditare repertis,
 Atque in communem mundi protrudere lucem:
 Horribili quamvis iterum nos lumine Mavors
 Adspiciat, sævusque iterum cervicibus instet:
 Impulit à pueris rerum mihi culta cupido
 Priscarum, nec non doctûm reverentia patrum.
 Ast Tu, si fas est, vultu hæc FERNANDE sereno
 Excipe: quandoquidem sunt magni nominis aræ
 Consecrata tui, votisque dicata supremis,

Bbb 2

Fallor?